Q. D. B. V.

TEMERARII CIRCA MAGICA JUDICII EXEMPLUM.

HOC

AMPLISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ JUSSU,

PRÆSIDE

ELIA CAMERARIO,

MED. D. ac PROF. ORD. CONS. & ARCH. WIRT.

IN DISPUTATIONE INAUGURALI

PRO SUMMIS IN MEDICINA HONORIBUS OBTINENDIS

AD DIEM NOV. A. MDCCXXIX.

PUBLICE DEFENDET

JOHANNES DANNENBERGER,

Tubingenſis.

TUBINGÆ,

Literis JOSEPHI SIGMUNDI.

14

J. N. D.

Quam prudentiſſimè monuit Hippocrates, breviſſimam vitam noſtram ad ampliſſimam artis longiſſimæ profunditatem plenè attingendam vix ſufficere, hinc eò magis vigilandum Medico cavendumque eſſe, ne ſibi nimium fidens præceps in errorem ruat; addit enim rationem graviſſimam: ἡ δὲ πεῖρα σφαλερὴ, ἡ δὲ κρίσις χαλεπή. Experientia ac ratio ſunt fulcra artis noſtræ; quanti igitur refert, hæc fulcra eſſe ſolida ac firma; hîc plerumque non licet bis peccare, ac videmus tamen peccari tam frequenter, tàm craſsè, tamque impudenter, ut Medicus circumſpectus non poſſit non obſtupeſcere conſpecta hominum vitam negligentium ac conculcantium ſtoliditate. Mens optimè exculta plerumque hîc incedit per ignes, ſuppoſitos cineri doloſo, ſtudetque ut ἀκριβῶς, omnique cura rem ſuam agat; quid fiet igitur de tot mentibus ſecuris, ignaris, occæcatisque. Quantum intereſt ut experientia æquè ac ratio ſolidè firmentur, uno vocabulo Hippocrates experientiam dixit vacillantem, titubantem, lubricam, inſtabilem, fallacem, periculoſam, ac rationem pariter uno verbo gravem, noxiam, pernicioſam, duram, verendam, difficilem valdè, ſævam &c. quanta igitur circumſpectione heic opus eſt. Quam innumerabiles hîc committuntur fallaciæ non cauſæ ut cauſæ. Scribendus igitur eſſet liber, non diſſertatio brevis. Sed diſputandi damus materiem, nec inexhauſtum mare errorum ingredimur; manebimus in litore, ac brevi, vagoque diſcurſu attingemus exempla quædam ex pravo fulcrorum uſu enata, tandemque id ſubjungemus, quod ſcriptioni huic titulum, occaſionemque dedit.

Ac primo quidem loco non poſſumus non allegare rem manifeſtiſſimè probantem, quàm hodiè difficile ſit, quamque periculoſum determinare, quid doceat experientia, atque an jure illi ratio ſuffragetur in certis circumſtantiis. Quam acriter enim hodiè diſputatur, an influxus Phyſicus animæ in corpus per experientiam cognoſcatur. Nemo olim dubitabat, nunc indubium res dudum revocata eſt. Mota vero hæc circa animam quæſtio Medico negotium haud faceſſit. Sufficit enim nobis extra controverſiam eſſe, animam exercere regimen ſui corporis plenè liberum ac pro ſuo lubitu, corporisque impreſſiones ac ſenſationes omnes in anima illicò vel clarius vel obſcurius percipi; id cuivis attendenti certum eſt experientiâ. Apparet tamen obvio hoc exemplo, quàm difficile ſit circa experientiæ certitudinē modernorum acumini ſatisfacere, quantaque in obſervationibus cautela opus ſit, cum genuina veræ ac fundatæ experientiæ criteria adeò Medicis potiſſimum ſint neceſſaria, ut ſi iis proin ſufficienter attenderetur, longè nitidior medicinæ effulgeret facies. Si enim circa experientiam ſubſit incertitudo, rationis judicium non poteſt non eſſe dubium, fluctuans, ac incertum. Elucet id cumprimis etiam in intricata difficilique miraculorum doctrina, ubi ratio judicans facilè in errorem per experientiam haud ſatis cautè attenteque inſtitutam inducitur. Maxima etiam ingenia labi hic poſſe exemplo ſuo docet Ill. Leibnitius, dum aquæ in vinum ſubitaneam mutationem pro miraculo habuit angelico atque inferioris ordinis; unde quæſo factum hoc eſt? magni etiam Viri dormitant aliquando, nec ſatis attendunt ad rerum pondera; ſuam hoc miraculo gloriam manifeſtavit primùm Salvator mundi, ergò miraculum eſt primi ordinis, non angelicum; non attendit Vir Cel. ad innumeros gradus, tranſitusque aquæ à ſimplicitate ſua ad vini craſin provehendæ; cogita quæſo ſucci in vite percolationes, coctionesque indefinito ordine per tot menſes ſibi ſuccedentes, illasque partium ex inſipido in auſterum, dehinc in acerbum, denique per acidum, in dulciſſimum ſaporem

tran-

tranſitum uno momento nunc abſolutum, & agnoſces digitum Dei, non angeli. Tanti judicii Vir ceſpitat, cum non omnia ante judicandum expendit momenta! uti ceſpitavit quoque, ſiquidem id huc referre obiter liceat, in quæſtione ab ipſo mota: an Deus præferat unicum hominem integræ ſpeciei e. g. Leonum? quæſtio curioſa magis quám l. utilis l. neceſſaria; hæſitando tamen non deciſa; cum reipſa facilè decidi queat & debeat, cum pro unico quovis homine effuſus ſit ſanguis filii Dei; hæc verò nonniſi in tranſitu dicimus, cum monere queant omnes, ne facilè, temereque judicium ferant; Et hodiè quidem difficultas circa miracula dijudicanda longè maxima eſt, plerumque à Medicorum effatis pendens, qui ſane niſi omnem induſtriam, ſinceritatemque, & profundum acumen adhibeant, temerario reſponſo graviſſimis erroribus præbere anſam queunt. Elucet id cumprimis in Romana Eccleſia, quæ tot ſibi miracula vendicat, iisque gloriatur, quàm facilè ibi in primo teſtium examine præjudicata opinio, Zelus qui non eſt ſecundum veram cognitionem, in tranſverſum agere mentes, imò & Medicorum (facilè aliâs in profani animi ſuſpicionem adducendorum) pervertere judicia ac præoccupare poteſt. Aperit enim hic ſeſe campus ampliſſimus, ſed conſtringimur brevitate, ut vix pauca liceat addere; etſi enim miracula à ſede Romana approbanda rigoroſo proceſſui ſolicitè ſubmittantur, judicium tamen plerumque fertur ſecundum acta primæ inſtantiæ; illa veró ſæpe ea, plaudente omni populo, agnoſcit miracula, quæ cauſis naturalibus tranſcribi haud ſine ſpecie poſſunt. Inter tot miracula quæ in Diar. Trevult. tribuuntur demortuo Miſſionario è Societate JEſu, P. â S. Hieronymo Neapolitano non deſunt talia quæ ordinario naturæ curſu ſub divinæ providentiæ regimine potuere contingere. Ac ſplendidum illud Exemplum quod fervidi Romanæ ſedis Advocati, patres Trevultienſes in diario ſuo adeò extollunt, ut provocent quaſi hæreticorum, quos ipſi vocant, turbam, an quidquam contra illius evidentiam valeant proferre, haud ſanè ita comparatum eſt,

ut nullum dubiis relinquat locum, ſi ad bilancem Medicam exactiorem appendatur, ac genius muliebrium morborum hyſterico malo innexorum attendatur, in quibus ceſſare ſubitò enatum ſub enormi Cephalæa deliquium hyſtericum diuturnum (facilè pro agone mortis habendum) queat, eo ipſo etiam momento quo ſacra imaguncula ori admovetur, cui dein ac fiduciæ in Ludovicum Gonzagam ſubita refocillatio atque reſtitutio ſenſuum ſine hæſitatione adſcribitur. Hoc enim quod in urbe Fano contigit miraculum Curia Romana juxta acta tranſmiſſa illicò confirmavit, eò hoc eventu cum dicta Societate JEſu lætior, quod acciderit imminente Canoniſatione Ludovici Gonzagæ, quæ nova hinc luce radians, facilè diſpulit, quicquid poterat videri naturaliter ſub ordinario providentiæ concurſu in iſta Dominæ Thereſæ, Filiæ D. Pompeii Camilli Comitis de monte-vecchio ſanatione contigiſſe. Hanc enim ſpecialem Dei in morbis providentiam, naturalibus mediis nixam, ſedes illa vix ſatis diſtinguit ab extraordinariis ac verè miraculoſis operationibus. Unde etiam haud deeſſent quæ moneri poſſent circa incorruptas illas Religioſarum Canadenſium diu ſepultarum partes, de quibus quidem Canadenſis Medicus ſuſpenſo incedens gradu judicavit, teſte eodem diſſentientibus adeò infeſto, Diario. Contemnant verò Eruditi hi, infenſique tolerantiæ omni Patres alias Eccleſias, à vacillante ſuo Unitatis centro diviſas, illisque & Miſſionum gratiam, & miraculorum dona penitus denegent, certum tamen indubitatumque eſt, Miraculum quod inter nos ſeculo elapſo in plena Eccleſiæ luce contigit, dubio omni longè evidentius carere, quàm celebre illud Pariſienſis fœminæ, proceſſioni Corporis, quod vocant, Domini adrepentis, ac cohibito ſanguinis fluxu ſanatæ, quod rigore ſummo ab Archiepiſcopo hoc ſuæ diœceſeos ornamento mirificè delinito, vix fuiſſe ſub examen revocatum iis facilè videri queat, qui volantia ea de re ſcripta inſpexerint, cum & diu uſa remediis fuerit, & in via convaleſcentiæ aliquandiu jam proceſſerit mulier. Hæc verò

noſtra

noſtra, quam poſſemus allegare, (credentes enim divino ver-
o eccleſiæ anxie miraculis non inhiant, etſi omnia ſpecialis pro-
videntiæ dona reverenter habeant) miraculi hiſtoria contigit
Leobergæ in plena concione, fœmina quæ per plurimos an-
nos pecudum more, manibus ſcabellis parvulis ſuffultis, re-
pendo quaſi ægrum trahebat corpuſculum, cum audiret præ-
dicari ſummam fidei vim, ita lumine hoc ſtimulisque exarſit,
ut ſubitò erecta in pedes exiliret ſpectante Eccleſia, muliercu-
lisque nuditatem corpuſculi jam elongati tegentibus. Res
omnibus innotuit, ac decrepita fœmina ἀυτόπτησ retulit rem
omnem pio quondam inter nos Theologo, D. Kellero, ex quo
eam aliquoties plenè enarratam accepimus. Ac recordamur,
cum prudentibus quibusdam Eccleſiæ Romanæ membris ſua
jactantibus miracula hiſtoriam illam in ipſa Italia objiceremus,
hæſiſſe illis aquam, nec, qua elaberentur, apparuiſſe rimam,
niſi timidam ac quodammodo verecundam ipſius facti nega-
tionem. Hîc verò prolixior miraculis locus non eſt, id ſo-
lùm voluimus dicere, & experientiæ certitudinem, & judi-
cii hinc formandi ſoliditatem in his caſibus difficultatibus pre-
mi ſummis, omnemque poſcentibus attentionem.

Si verò animo ulterius vagabundo inter dubia difficiliaque Me-
dicorum judicia atque experimenta obtutum pauliſper diriga-
mus ad Anatomicorum Theatra, etiam ibi πεῖραν σφαλερὴν depre-
hendimus; nec dicas, oculorum hic fide rem agi ac decidi, nec eſſe
erroris periculum; nam & hîc luxuriant ingenia. Exempla non
deſunt, copiâ laboramus; non allegabimus obortas lites circa
ſalivales ductus ab aliis in venarum claſſem redactos, non re-
cenſebimus contraria placita valvulam coli vel ſtatuentium,
vel negantium, ſphincterem veſicæ vel adſtruentium vel exſi-
bilantium. Leges multa ſimilia in Scriptis Heiſterianis, atque
in adverſariis acutiſſimi Morgagnii, qui fauſto ſidere illuxit Se-
ctoribus, eosque vaſta ſua experientia Sectoria ita potenter co-
ercet, ut non audeat quivis pro lubitu novas ſuas publico ob-
trudere minutias, ſæpe non niſi fœcundæ imaginationis fulci-
mine

mine nixas. Si tamen & hîc exemplum facilis erroris requiras, dabimus tibi Celeberrimum Belgam Lewenhœkium, cui plurimum debet hiſtoria naturalis, & ob illa quæ vidit globulis ſuis Microſcopicis, & ob illa quæ vidiſſe ſe exiſtimabat (ejus enim exemplo illi reſipiſcent, qui viſui imaginationem audacter nimis miſcentes conjecturas pro veritatibus manifeſtis nobis obtrudere in iſto minutiarum genere haud erubuere.) Hic Vir Induſtrius non ſine complacentia quadam ac plaudens ſibi certiores fecit in ſcripto aliquo ſuo Eruditos, ſe detexiſſe, vas deferens non eſſe, ut creditum hactenus fuit, ſimplicem tubulum aut canalem, ſed analogum, imò ſimilem planè umbilicali funiculo, ad cujus ſimilitudinem contineat replicatas vaſculorum ſeries vaginula hac tenui artificiosè incluſas, inſertasque; Stupebant anatomici haud immeritò, aſt ſtuporem diſcuſſit ſequentis anni ſcriptione Candidus Belga, faſſusque eſt, impoſuiſſe ſibi, armatum licet ſumma acie, viſum, quis enim illo vidit acutius? quis Microſcopia ad idem cum illo evexit acumen agnoſcit ſimplicitatem ductus, evanuit funiculus temerè ac non ſatis præmeditatè contextus; Hoc ſi fiat in viridi ligno, de ſicciore quid eveniet? quàm cavendum nobis erit; cum & fallantur ſummi artifices. Vis exemplum adhuc aliud? en Tib Patrem anatomicorum decrepita canitie venerabilem, Fred Ruyſchium, quis huic comparari poteſt in præparandis, detegendisque, corporum minutiis, vaſculorumque mæandris, & de hoc tamen heroe iſta apud Cel. Heiſterum Legimus: Non pauci ſunt Authores qui rete mirabile homini denegant, miror que ipſum Ruyſchium, qui hoc rete olim figura & verbis indicaverat in Epiſt. problem. XII. Tab. B. lit. T. nunc illud fabulis annumerare in adverſar. Anat. II. p.45. cum tamen ſi modo dura mater utrinq; juxta glandulam pituitariam ſcalpello decenter aperiatur, unicuique rete mirabile facilè in conſpectum veniat. Dubites igitur an magis hîc fallat experientia Ruyſchiana, an judicium? Ut verò hæc Sectorum pomœria linquamus, ejusdem Ill. Ruyſchii ultimum inventum, cordi

eju

us gaudium atque exultationem, breviter ſaltem tangemus, uſculum ſcil. fundi uterini, excluſioni ſecundinarum ibi adnarum dicati; quis non plenam hîc quæreret certitudinem, ac demus nihilominus Cl. D. Leporinum, etſi muſculum directè ud ſit aggreſſus, ipſam tamen ejus exiſtentiam haud obſcurè, ſi obliquius, vocaſſe in dubium, concluſiones verò ab Optio Sene præ cordis gaudio largiter inde deductas non ſine ſpe, ac fundamento fortiter conc ſſiſſe, neque enim de nihilo nt, quæ adverſus Ruyſchiana dogmata circa ſecundinas montur dubia. Sed noſtrarum anguſtia chartarum plura non mittit.

Chymicorum Laboratoria, quorum immenſa cavi ſpint mendacia folles, nos incertis, difficilibusque rebus prorſus undarent, ſi immorari liberet temerariis ipſorum promiſſis, ovimus equidem rectius ſapere meliores noſtros Chymicoedicos, ſed nec ſine nauſea tot umbras potabilis auri, tot cuas auro auri tincturas, tot proceſſus ipſa ineptitudine eptiores, tot deceptiones Magnatum decipi avidè volentin, tot arcana abſurditatibus veſtita licet conſpicari; quanta c credulitas, quanta in promittendo temeritas, quanta imidentia regnat, quàm difficile eſt genuina à fictitiis diſcerne. Si exemplum requiras, dabimus tibi unicum, Viri bo, Eruditi, ac bona fide errantis, qui ſibi ipſi firmiter perafit ſe inveniſſe exoptatam tot votis, deſideriisque panaceam, æ longævitatem adeò mortalibus vehementer expetitam, ſtris facilè temporibus reſtitueret, eſt is D. de Comiers, æpoſitus Ternanenſis, magni Vir Ingenii ac Machinarum gantium Author, publicis ille typis Univerſalem Medicinam bi dedit, magnificis ſtipatam promiſſis, nec invidebat (quod i affectant ineptè) mortalium generi tantum bonum, det proceſſum publico, Antimonium cum fixo Nitri liquore ſſit digerere, rubiniformem, quem acquiſivit, oleo colom Vini Spiritu aufert, huncque abſtractum concentratumue, vel ad ſiccitatem pulveris evocatum cenſet relinquere

poſt

poſt ſe panaceam omnibus morbis internis externisq; debella
dis parem; Et hæc ſibi perſuadere potuit tantum Ingeniur
Cavete igitur! Rectius nunc conterranei ejus Sulphur hoc, a
timonii Sobolem, cum pompa reducunt in ſcenam, no
veſtitum elogiis ſplendidoque Kermes mineralis titu
deprædicant, non ut panaceam, agnovere enim exceſſu
promiſſorum Viri inſignis, ſed tanquam præſtantiſſimu
cumprimis pectorale remedium, cui ne nunc quidem ca
cellos virtuti ejus debitos ſatis coarctare aliis videri quea
Sed fugiamus ex iſto fumorum territorio!

Non auſim Medicam, quàm vocant, materiam conte
plari, & ſimplicium æquè ac compoſitorum remedioru
elogia, finis ſanè ibi non eſt difficultatum in Experientiis æq
ac judiciis. Næ, qui iſtud Augiæ ſtabulum purgaverit, ce
taque ab incertis diſcreverit, is ſanè mortalium generi ope
afferet incomparabilem. Evolve ſolùm circa hanc expe
entiæ ac judicii difficultatem obſervationem Cel. Schobe
Archiatr. Ruſſic. in Ult. Eph. N. C. tomo, ubi non ſolu
Perſicam Mumiam ejusque effectus vix credibiles allegat, ſ
& famoſum Boramez, vegetabili regno ademtum; ac pe
pende quæ tradit de rhabarbari & rhapontici idenditate, illu
ſuperiorem, hoc inferiorem ejusdem radicis, plantæque pr
in, partem cum Cel. Comelino ſtatuendo, ex obſervatio
bus ad Wolgam factis, collatisque cum tot aliorum Bota
corum aſſertis. Non licet iſta perſequi prolixius; nec lic
tacere omninò, dicemus autem verbis quaſi tribus; ac ſe
gemus pauciſſima remedia à ſummis etiam Viris commend
ta atque adhibita, ſuppeditat illa nobis Doctiſs. Vir G. H. Ve
ſchius in obſervationibus Anteceſſorum Centuriæ Epiſagm
tum annexis. Dabimus pauciſſima. Refert Reuſnerus Pri
cipem Saxonicum ſecreto experimento partui difficili egr
giè ſuccurriſſe nigra ex pavonum pennis parte, ſeu ocul
ſpeculove, tantamque tribuit illi vim, ut non admittat niſi
juſto infantis ſitu, ne expulſione malum oriatur. At quis no
vid

det juncta liliorum lutea filamenta ſuccinumque rem præ-
ıre non capita pennarum oculata ; quæ eadem incertitu-
ne inflammatis mammillis Hartmannus, paronychiæ Masba-
ıius, ad ſpaſmum flatulentum Liechtius, Weiſſenfelſius ad
nguinem diſſolvendum commendant, utpote Stephano Po-
niæ Regi (ita perſuaſum Rumlero) contra anginam valdè
utiferam repertam. Quid hîc ſubeſt certitudinis? D. Lupus
aximiliano Imperatori & Paulo à Liechtenſtein cerebro ro-
ɔrando, rationisque vigori exacuendo, propter argutiam,
ntum chœro gryllorum commendavit, quod jure Velſchio
οπον dicitur. Secretum pro angina remedium inveniſſe ſe
edidit Medicus Bononienſis, in filo ſerico chermeſino, quo
rangulata fuerit vipera. Eberhardus à Pian antiquis ulceri-
ıs internum oſſium humanorum uſum commendat, ſed
ſium partis affectæ, ut ſc. laborantes in brachio oſſa cubi-
& radiorum bibant per annum, qui in pedibus & tibiis, ea-
ndem partium oſſa uſta aſſumant. &c. Veſicæ calculo Mar-
ıs opponit avem Troglodyticam, gallinulam auream dictam,
: quâ ne quidem, qualis ſit, conſentiunt. Epileſiæ idem Mar-
ıs in Comit. Oettingenſ. oppoſuit ſiniſtrum Lupæ ocu-
m ſtomacho appenſum, ubi Velſchius Lycophthalmum
pidem Plinii potius judicat intelligendum. Sed mittamus
ıs credulitatis nimiæ aberrationes.

Supereſt penſitanda penitius verſa ex Gallico Hiſtoria,
ıæ docere nos queat, tum experientiæ æquè ac judicii circa
am formandi ſummam ſæpe difficultatem, tum mentis hu-
ıanæ haud ſatis emendatæ ordinariam levitatem ac in fin-
endo temeritatem. Si vulgi ſolùm hic eſſet morbus, res vi-
eri tolerabilior poſſet, ſed cum Eruditi eandem erroris vi-
m ingrediantur, id quidem horum quoque miſeriam novo
rmat argumento. Olim cum de re difficili ſermo erat, ad
ualitatem occultam recurrendo fatebantur ignorare ſe cau-
ım phænomeni, nunc verò majori in phyſicis phænomenis
xorta luce, miſerè abutuntur ea, putantque ſe explicare res

 dif-

difficilimas, cum reverà nihil dicant quod ad rem faciat declarandam. Ferendi ſunt mores temporum hominumque variantes, modò imitari illos deſinant ii, quibus de meliore luto ficta ſunt præcordia.

Diſſertatio D. Doiſon, Medici Tornacenſis explicans Introductionem extraordinariam corporum extraneorum per vaſa, ductusque alios humani corporis.

MEnſe Nov. ann. 1724. rumor in hac urbe increbuit extractas eſſe viginti aut viginti duas aciculas ex cute alicujus Virginis ſacræ Dominicanæ, ex pedibus æquè ac ex aliis corporis partibus. Cumque varia de caſu hoc hominum judicia murmuraque audirentur, vellentque iſta referri ad (a) magicas

(a) Eſt genus hominum audax, ac temerarium, quod res difficillimas levi brachio amoliri audet, nihilque admittit quod cum opinionibus ſuis præjudicatis non conveniat. Huic hominum claſſi nomen dedit D. Doiſon, ſtrenuumque hìc agit athletam; tranquillo animo audiverat exſectas è virginis corpore aciculas, cum verò rumor, murmuraque augeſcerent, vellentque iſta referri ad magicas operationes, obviam tanto malo ineptæque ut ipſi perſuaſum in anteceſſum fuit, opinioni eundum cenſuit, acſi periculum inde immineret Reipublicæ; Eſt ſc. id mori hodierno ac recepto convenien (c'eſt la mode) ut ii ſoli ſe à præjudiciis credant liberos, qui firmo præjudicio contra omnia rationi noſtræ non obvia, & in vita tamen communi occurrentia, mentes ſuas muniverunt. Egregia ſcilicet à præjudiciis ſeſe liberandi methodus erit, contemnere res ſuſpectas, nec examine eas accuratiore dignari, aut ſuperficietenus eas conſiderando, dum noſtris non quadrant ratiociniis eas vel negare, vel ſi nimis ſint manifeſta comminiſci cauſam, ſpecioſam quidem, ſed fundamento deſtitutam, arbitrariam, ac pro lubitu fictam. Sic ſanè conſpicimus omnia Magica vi imaginationis, quam nunc in ſua commoda ſtatuunt, finguntque quaſi immenſam, audacter adſcribi. Si qui igitur ſint, qui Magica in univerſum omnia exſibilant, ac ordinario naturæ ordini transſcribant; cum illis ego quidem non arbitror diſputandum eſſe, negant enim principia, evertunt hiſtoricam fidem; Voluntas apud ipſos eſt principium credendi, vel negandi res etiam manifeſtas. Si aliqua ſe dicant admittere, facilè tamen erit advertere, in quovis caſu ſpeciali eos omni cura hoc evitare, ne admittant unquam cauſam altiorem. Innumeri Authores (ac nos quoque in Diſſertationibus Taurinenſibus, ac in Diſp. d. Magicis morbis) exempla irrefragabilia adduxere, quæ à phantaſiæ operatione deducere eſt delirare; cum delirantibus autem agere atque altercari eſt laterem lavare. Abundent ergò ſuo ſenſu lyncei illi viri, qui putant ſe incohærentiam omnium hiſtoriarum Magicarum manibus qs. palpare.

gicas operationes, adire Virginem die ejus menſis 24. conſultum duxi; Decumbebat illa in lecto, cumque eam accuratè exploraſſem, reperi faciem ejus floridam, elegantes oculos, os benè conſtitutum, linguam palatumque uſque ad tonſillas fauciumque anguſtias benè ſe habentes, nullaque labe infectas. Retulit verò (b) illa, ſe à pluribus retrò menſibus toto corpore laſſam fuiſſe ac debilem, animo dejecto, doloribus obrutam punctoriis; cumque id indicaſſet ordinariis Medicis Chirurgisque, illos obſervaſſe maculas lividas in pluribus corporis ſui partibus, præcipuè in pedibus atque in pectore, unde judicarint maculas iſtas eſſe ſcorbuticas, eumque in finem ipſi præſcripſerint convenientia remedia; cum verò dolores atque inquietudines increſcerent in animo æquè ac corpore ægrotæ, extraneum illa Chirurgum acceſſivit, qui eam exactius cum alio urbis Chirurgo explorans, tangensque nigricantes iſtas maculas attentius profundiusque perceperunt ſub iis reſiſtentiam duritiemque aliquam, acſi corpus lateret extraneum; captoque ex arena conſilio unam ex iſtis maculis incidentes quousque cutis pertingebat, ſub qua aciculam invenerunt quam forcipe extraxerunt, factisque ſimilibus in pluribus maculis inciſionibus invenerunt ultra viginti aciculas. Aliquot abhinc diebus Virgo hæc acutum pone auriculam ſenſit dolorem, extractaque iterum acicula conquievit dolor. Iſto quo eam vidi tempore conqueritatur de dolore quodam circa aſperæ arteriæ caput in collo, maximè cum deglutiret ſalivam aliumve liquorem, prætenſaque dolente parte digitis ſenſi extremum alicujus extranei corporis tam profundè tamen ſitum ut ſecurè extrahi tum quidem

(b) Non ſunt negligendæ hæ circumſtantiæ, punctorius enim tot menſium dolor clarè oſtendit adfuiſſe diu aciculas nervea filamenta pungentes, ſicque continuis irritationibus nuliam Spiritibus animalibus quietem concedentes, hinc iis fatigatis, laceſſitisque perpetuò debilitas totius corporis ac laſſitudo, quippe Spirituum diu graviter patientium neceſſaria ſequela, traxit ſecum illa Spirituum defatigatio dejectum animum, inquietudines animi corporisque. Quanquam & ii, qui iſtas punctiones corpuſculo potuere adactis aciculis clandeſtinè infligere, turbare forſan etiam mentem non una ratione potuerint.

dem haud poſſet. Monuit virgo ſe dolere etiam in pede, quo explorato, recogitans exempla adhuc magis extraordinaria lectaolim in Schenkio, ac D. Verducs, quodque ipſemet teſtis fuerim oculatus ejectos fuiſſe per urethram pilos, quæſivi ex ipſa (c) annon recordetur ſe in ætate infantili deglutiviſſe aciculas; illa verò nequicquam hæſitans, reſpondit, ſe plures pluribusque etiam vicibus deglutiviſſe prava ſcilicet conſuetudine inductam ſe frequenter ore detinuiſſe plures, certamque ſe eſſe plures à ſe tum fuiſſe incautè deglutitas. Quo ipſius ex ore erudito mox concluſi nihil hic ſubeſſe ſupernaturale, multò minus faſcinum, credidique me daturum facilè rationes phænomeni adeò extraordinarii, rarique primo aſpectu; en ratiocinia mea. (d) Evidens eſt corpus noſtrum eſſe contextum ex tubulis, ductibusque cavis, adeò ut

(c) Vidit Duacenſis Medicus exſectas aciculas, etiam ponè auriculam, aliamque, circa aſperæ arteriæ caput profundè (ut ne exſcindi quidem poſſet) hærentem, rem negare non poterat, itum hinc ad artes, quærit annon olim aciculas deglutiverit, cumque illa annueret mox concluſit nihil hic ſubeſſe præternaturale, multò minus faſcinum, crediditque facile ſe daturum rationes phænomeni adeò extraordinarii. Inducit ipſam illam ſacram virginem in errorem ingenioſa hac quæſtione, ac plerosque alios rei gnaros; Hìc verò deprehendimus fontem plerorumque errorum, præceps, ac non ſatis præmeditatum judicium, hæc virgo deglutivit olim aciculas, ergo hæ præciſe aciculæ jam exſcinduntur, quæ unquam virgo viginti ſucceſſive aciculas deglutivit? monſtrabitur verò ipſis regia ad cutim via, etſi enim aciculæ ſine capitibus exſcindantur, facile tamen & hic remedium ſuccurret. Proh! quanta in rem Medicam phyſicamque mala ex præcipiti hac judicandi ratione dimanarunt; quicquid tum commodum rebus noſtris, ac probabile vel per umbram videtur, pro veritate mox venditatur, nullæ amplius difficultates attenduntur, fiunt in ratiociniis ſaltus, nec ad cohæſionem illorum ſatis attenditur, arripitur omne id, quod opinioni præcipiti convenit, ac duriſſimæ, imò penè impoſſibiles hypotheſes admitti ultrò jam poſſunt ac concoqui, ſunt enim talibus philoſophis ventriculi ſtruthionum, qui duriſſima quæque, ipſumque ferrum ſi non concoquunt, ſaltem ferunt, atque atterunt; nec dubitat ſua proponere quæ tam plauſibilia videbantur ratiocinia, ea quidem confidentia, ut applauſum ſibi re quaſi optimè geſta non defuturum hac ſui judicii publicatione faciat teſtatum.

(d) Primum ejus ſuppoſitum evertit totam quam ſtruit machinam, ſi enim vaſa vocantur jure capillaria, imò ſi omnem tandem oculorum effugiant aciem, & capillo plurimis vicibus ſint, uti revera ſunt tenuiora, iſtam ſanè acicularum per tot annos circulationem nec admittunt, nec ferre ulla ratione potuerunt, concipe enim, ſi potes in vaſculo capillo multum tenuiore hærere aciculam cujus diameter plusquam centies excedit vaſculi diametrum, ſomniantibus hæc conveniunt, haud verò iis qui ordine ali-

ut horum minima vocentur vaſa capillaria ob exilitatem, quæ efficit ut tandem oculorum omnem effugiant aciem. 2. Hæc vaſa habent fibras ſuas motrices, quæ in ſtatu ſanitatis integritatisque ſint in motu perpetuo. 3. Iſti motus ſint directi, fibræque rectæ ſe movent ſemper à centro ad circumferentiam, ut eò pellant deducantque ſanguinem ſuccumque nutritium, ad reparandum augendumque partes etiam remotiſſimas usque ad extremam cuticulam: 4. Hi ductus ac vaſcula habent ſua oſcula aut orificia diverſis prædita figuris, ſ. configuratione, ut admittant liquores inſervientes uſibus diverſis, imò & corpora ſolida pro ſua varia configuratione, qualia ſunt arenæ, lapilli, vermes, pili, aliaque extranea corpora. Quæ cum ita ſe habeant, conceptu haud eſt difficile, corpora exilia deglutita aut cum alimentis, aut ſeparatim, qualia ſunt pili, exiles nuclei, aut ſemina, limatura, aciculæ, acus, resque his ſimiles, poſſe ingredi, traducique usque ad extremitates tubulorum & vaſculorum etiam ſummè imperceptibilium, hoc eſt, usque ad eorum fines atque extrema, quæ ſunt in epidermide ſeu cuticula; ipſa etiam corpora majoris paulò molis quam ſint vaſcula per quæ tranſire illa debent, quia hi canales conſtant ex membranis aptis ad cedendum, parentibusque extenſioni ingruentis extranei corporis quod

quo ac ſolidè rationes ſubducunt; tenuiſſimæ etiam vaſculorum extremitates habent fibras, conſtant ex fibris, ſed tenerrimis, nec ad promotionem, tranſmiſſionemve acicularum aptis. Et quam obſcurum eſt, quod dicit, has fibras motus edere directos, rectaque ſemper ad circumferentiam à centro ſe movere, ut pellant ſuccos nutritios, ſed ſi hoc concederetur (quod tamen gratis ſupponitur, cum cor ſit potens illa, quæ circumpellit omnes liquores corporis antlia) non tamen pellere valerent aciculas ſe ipſis tot vicibus craſſiores ac rigidas, atque inflexiles. Et quàm quæſo elumbis eſt ſequela minimorum vaſculorum oſcula ſunt diverſa, igitur admittunt lapillos, vermes, aliaque extranea corpora; non reſpicienda eſt figura oſculi ſed cum oſculorum diametro exili conferenda diametri lapilli craſſities. His miſere præſuppoſitis conceptu haud eſſe difficile cenſet, exiles nucleos, ac ſimilia corpuſcula tranſire unà cum ſuccis, quia vaſcula poſſint diſtendi, dilatarique. Sed de capillaribus, & adhuc minoribus vaſculis hæc fictio nulla veriſimilitudine poteſt admitti, impoſſibilis eſt talis dilatatio, taliſque tranſitus; ſunt extremitatum in vaſculis membranulæ tam tenues, ut rumpi citius debeant, quam quidem cedere ac dilatari ad tranſmiſſionem nuclei vel lapilli. Hinc gratis talia & ſupponuntur & finguntur.

quod tranſmittendum eſt per vaſculum tale. (e) Ecce modum quo explicare aggredior rem iſtam. Qualecunque fuerit tale corpus extraneum, ſi deglutiatur deſcendatque per gulam

(e) Ecce temeritatem Viri Cl. rem impoſſibilem nobis pro veritate evidenti ac poſſibili obtrudentis! Hic incipit iter acicularum, comitabimur illas ab ore uſque ad cutem, ſed hærebunt mox ut mus in pice. Regia via per gulam ad ventriculum ac inteſtina patet; hic nulla eſt difficultas. Id ſaltem nobis non innotuerat alium motum in ventriculo à tota ejus ſubſtantia, alium à fibris long. & circ. ſed tranſeant iſta cum cæteris. Jam tendimus ultra, aciculæ non pergunt in via ſua per ampla inteſtina, ſed, ut ait, obſecundant motui chyli, chylus non habet motum proprium, quid illi cum aciculis, an lactea vaſa eas admittent, an valvulæ nihil obſtabunt, quid conſilii pro aciculis cum ventum eſt ad meſenterii glandulas, quomodo ſubeunt vaſa lactea ſecundi ordinis; ſimus liberales contra ipſius rei naturam, veniant ad receptaculum chyli, quid quæſo finges, quod eas contra innatam gravitatem elevet attollatque, uſque ad venam ſubclaviam, quis hîc ſuccurret fictioni magnes, & ſi quis eas attolleret, nil obtineretur; tranſeant per dextrum ventriculum, ingrediantur arteriam pulmonalem, qua fronte eas per hujus ac reſpondentis venæ mæandros inextricabiles traduces per ſiniſtrum ventriculum ad aortam, hic, fateor, amplum eſt ſpatium, ſed deduc jam acicularum unam ad intima laryngis, alteram ad auriculam & eris mihi magnus Apollo; jam in via viſcerum atque ad cutem ea recurrunt obſtacula, ii mæandri, & intorſiones vaſorum, & minutiæ, & circumgyrationes, anaſtomoſes, complicationes, ut tædeat iſtis porrò attendere figmentis. Dicitur propè cutem non invenire eandem directionem, quæſo an eadem antea directio obtinuit? quid de perforatione? quid de abſceſſu? nulla nec in hoc caſu, nec in multis aliis affinibus vel perforavit cutim, vel abſceſſum produxit, omnes exſectæ ſunt dum quieſcerent ſub cute. Anilem verò narrat fabulam, cum dicit; globulos forſan adhuc in vaſculis circumvolvi, qui globuli millies diametrum talis extimi vaſculi ſuperant. Lenis in ſanguine motus confregit iſtas acicula, caputque decuſſit, rectius alii in ſimilibus caſibus obſervarunt aciculas omnes ſine capite, & manifeſta veſtigia abſciſſionis forfice factæ; poteratne tenerrimæ vaſculorum capillarium fibræ atterere aciculas, capita. corpora tam ſolida comminuere, annihilare quaſi, vel decutere, ut adhuc volvantur in vaſculis cum liquido? O egregium mechaniſmum, Borelli, ſi Diis placet, acumine dignum! Aciculæ ſunt ſine capite, qui eas per has vias omnes audet circumducere, caret fronte. Nova hîc circa reactionem corporum Theoremata conduntur. Gutta cavat lapidem, quidni & blanda ſanguinis lympha capita acicularum decutiet; ſanguis immiſſæ diutius manus cutim reddit teneram, uti à lixiviis evenire ſolet, (eodem gradu id nunquam fiet) habet igitur ſanguis in ſe ſalia lixivioſa arrodentia aciculas; cur verò capita craſſa annihilant; aciculas ſaltem poliunt. atque attenuant iſta Salia fictitia, quis enim ignorat paucitatem ſalis lixivioſi in ſanguine, imò nullitatem in ſanguine nondum ſiccato, aut in cinerem redacto. Provocat ad Exempla ſimilia atque affinia D. Doiſon, nec quiſquam rem ipſam negabit, Schenkius, ac Verduc idem obſervarunt, ſed non eadem liberalitate finxerunt impoſſibilia. Innotuit certè hodie rectius ſubtiliſſima ac planè mirabilis corporis humani ſtructura, ſed innotuit ſimul clariſſimé, non eſſe poſſibile, ut aciculæ iſtæ omnes iſtas pervadant anguſtias ac vaſculorum tenerrimorum circumvolutiones. Pa-

aſſiduum imminui, ob continuum impulſum mutuum & rea-
ctionem partium, & liquorum in iis contentorum, qui conti-
nuò fluunt ac moventur, ſecundum proverbium: Gutta cavat
apidem non vi ſed ſæpe cadendo, præter quod dentur ſalia li-
xivioſa in ſanguine & humoribus, quæ rugas inducunt cuti eo-
rum qui frequentius immittunt ſanguini manus, eamque quaſi
eneram reddunt, uti alias à lixiviis evenire ſolet. Ut vero pro-
bem iſtiusmodi caſus haud eſſe ſine exemplo, nec prorſus inco-
gnitos, ablegare liceat Lectorem ad Schenckium magis extra-
ordinaria referentem, atque ad Medicū Pariſienſem Verducum,
qui recenſet tria quatuorve exempla, quæ fidem omnem exce-
lerent, ſi non innoteſceret hodie penitius mirabilis ſtructura
corporis humani, ſagaxque induſtria naturæ, expellentis ex la-
ere cultros, aliaque ſolida corpora prius deglutita. Ipſe ego vi-
li pilum prælongum ex viri cujusdam urethra, qui neceſſariò
lebuit per emulgentia vaſa, per renis pelvim, per urethram &
eſicam tranſire, antequam potuerit urethram ingredi. (f) Ex
uibus omnibus illatu eſt facile, quod in caſu præſenti faſcinum
naleficiumque locum habeat nullum. Ita quidem deliberatum
ſt concluſumque Tornaci 26. du dit mois & an. *Doiſon.*

(f) E quibus omnibus illatu eſt facile, quod in caſu præſenti faſcinum, maleficiumque omninò locum habeat, quodque contrarium ſine ullo fundamento deliberatum concluſumque fuerit. Sumimus nunc manum de tabula, remittimusque ad analogam Diſputationem noſtram de Magicis morbis; id unum adhuc addentes, quod penitus infringit deſtruitque mirabilem hanc aſſignatam aciculis viam, acum ſcil. ex muſculo bicipite brachii exſectam, non parvulam illam, ſed ex earum genere, quali in conficiendis tapetibus utuntur, & quomodo hæc per capillaria tranſiit vaſa? totam rubigine obductam, teſte in Eph. N. C. D. Kernio. Ac penitus confundetur cui hæc via arriſerit ſi Graſſianam in Eph. Hiſtoriam (eadem in Diſput. noſtra allegatam unà cum pluribus aliis) probe perpenderit, quæ non unam alteramve acum ancillæ exſectam exhibet, ſed agmina quaſi earum vicibus temporibusque diverſis; id maximè evertit omnia D. Doiſoni ratiocinia, quod facta inciſione bicipitis muſculi inventus ſit faſciculus duodecim acicularum filo lineo colligatarum, & duæ aciculæ rubigine obductæ cruciatim carni infixæ; Hic ſeſe nunquam extricabit D. Doiſon. Nunquid enim faſciculus hic eundem per vaſcula circulum abſolvit? Sequenti anno eidem ex brachio & mamma nonaginta & octo aciculæ ſunt exſectæ. Tertia vice laboranti ultra quadraginta ſex aciculæ exſectæ ſunt. An & hæc omnes illas ante plures annos deglutiverat?

Sed iſta nobis hac vice ſufficiant. *Loquitur res ipſa.* Nos concludimus monito ad diſcentes ſincero, ut fictitias fugiant hypotheſes, præſtat neſcire quam abſurdis fictionibus indulgere. Temerè credendum non eſt; ſed nec temerè quidquam negandum. Medio tutiſſimi incedimus.

gulam in ventriculum, egredietur id inde cum chymo per py lorum, id quod fit partim per motum totius ſubſtantiæ ven triculi, quam per ſtricturam fibrarum ejus longitudinalium & circularium, quæ corpora cum propulſa provolutaque fuerint ad inteſtina, quid quæſo obſtabit quò minus obſecun dent motui chyli, eumque ſequantur, ſicque inſenſibiliter ſub eant vaſa lactea inque illis hæreant, progredianturque ulterius per vaſa ſanguinem atque nutrimentum ad omnem usque & extremam corporis circumferentiam deferentia, ubi cum non amplius inveniant eandem directionem, ſubſiſtunt, ibique tam diu hærent, donec attenuata cute eam perforent, vel excitent ibi abſceſſum. Anni quos natura adhibuit ad pellendas aciculas iſtas ad cutem certæ alicujus in corpore hujus virginis regionis inſervierunt ad poliendas, diminuendas & attenuandas aciculas iſtas valde politas, quaſi lubricas, ac ſpiſſitie moleque imminutas, utpote ferè acutas utrinque, idque capitula earum ab ipſis ſeparavit, quæ forſan adhuc in iſtis hujus virginis circumvolvuntur vaſculis, præterquam quod ſit comprehenſu facile, aciculas has per tot annorum ſeriem in iſtis canalibus diverſis provolutas, liquoribusque tam variis obrutas debuiſſe per attritionem continuam & contactum fibrarum motricium horum vaſculorum

C aſſi-

tet tot exemplis, induſtria naturæ expellentis, ut loquitur D. Doiſon, ex latere cultros, aliaque ſolida corpora prius deglutita, ſed illa tam paradoxis ad ſui explicationem haud indigent ſuppoſitionibus ac fictionibus; manifeſte in omnibus iſtis caſibus ſunt viæ, methodique quibus incedit natura in expellendis extraneis ſibique moleſtis. *Largimur* omninò D. Doiſon vidiſſe pilum prælongum ex viri cujusdam urethra eductum; an eadem pili aciculæque ratio eſt, an flexilis pilus æquè reſiſtit, æquè pungit, æquè rigidus eſt? quis adeò certum reddidit Virum Cl. pilum hunc per emulgentes, per pelvim, ureterem, atque veſicam ad urethram debuiſſe neceſſatiò deduci. Non dicimus hoc non potuiſſe fieri, ſed negamus formatam hinc conſequentiam, & ſi quis ſtatueret, haud repugnare pilum talem in veſica, vel aliis urinæ viis gigni, is abſurdi doceret nihil. An verò easdem aſſignabit vias rebus à Jæger Schmidio in Eph. N. C. allegatis in muliere miris agitata convulſionibus, ac ad deſperationem adacta dolorifica urinæ redditione, quæ inter immanes cruciatus excrevit cum urina quinque acus, quarum una NB. globulum ex cera hiſpanica impoſitum gerebat, donec majori dolore tres pilorum faſciculos eadem rejiceret via, hos quatuor acuminata vitri fragmenta, ſex ſpintheres, quinque clavi ſoleares &c. Ac tandem extrahendum fuit vi ex urethra linteolum fortiſſimè funiculo colligatum, quo ſacculo aperto repertus eſt paſſim perforatus à rebus iſtis antea ejectis.